

IN LIBRVM

DE PESTE

RVDOLPHI GOCLENI

MEDICI ET PHILOSO-
phi clarissimi

CASPAR BARTHIVS

MODVLABAR.



*N*quies longis latuisse seclis,
*N*empe, dum nostri numeros reatus
*C*rescere occulta ratione, sentit,
*P*œna morata est.

*N*ec nouum semper scelus imminente
*V*indictis pressere Dei cohorteis
*C*lade, sed longum spacium dedere
*R*etro abeundi.

*V*erum, vbi nullo voluere ritu,
*C*rimine adiecto, monitus Deorum
*N*osse, Mortaleis, Animosq³ cruda
*V*ertere noxa.

Sed

Sed suam in cladem ruere obstinata
Mente, Diuinos gemitus cacchinnis
Prosequi obscænis, vitisq; totam
Mergere vitam.

Illicet vindex Domini coruscat
Dextra flagrum atrox, variaq; iustas
Induit pœnas facie, per omnem
Flebilis orbem.

Pars cadit ferro, atque inimica tingit
Arma vesano periens cruore,
Strictus in mortem furor imminentem
Irruit vltro.

Pars inexpectato obitura letho
Mille se in cladeis rapit ambigentem,
Dumq; non sperat medio in Lepôre
Inuenit orcum.

Fraude sublesta, socioque falso
Plurimi occumbunt. Epulis supinos
Dapsilis multos rapuit profundo
Crapula somno.

Nec minus blando Venus & Lycaus
Vinculo nexi, illecebris dederunt
Plurimos pessum, super his triumphat
Cœca voluptas.

Bilis infanda satianda cade
Mille corrumpit famulos gradiui,
Ira dum stricto furibunda ferro,
Se necat ipsam.
Hosticus quæis saepe pepercit ensis

Ebrit

*Ebrii in luxu periere festo,
Dum serit rixas, facili Cupido
Morte piandas.*

*At velut nostro vitio sa seculo
Ausa creuerunt, Fer a poena centum
Auxit in formas rabiem nocendi,
Nescia pausa.*

*Inter immensos tamen vna morbos
Acrius seclum exagitare pestis
Incipit nostrum, sata pullo ab astro,
Præ, mala, lethi.*

*Ætheris magni domus in vaporeis
Flagrat obscænos, Hominumq, genti
Sæua destillat, volitans, venena,
Præpete nimbo.*

*Hæstia testor Genium Beate,
Annuo quam nunc spacio cruenti
Sæua pascuntur, sine Apolline vlllo,
Spicula morbi.*

*Hoc, nisi, GOCLENIA quod laborum
Fotiugem messem miserata VIRTUS
Induit Phœbi faciem fauentis,
Gnara medela.*

*Martis ad Lini fluuium, Eruditis
Semper excellens animis virorum
Castrum & ingenti ditio Dynastæ
Subdita clamat.*

*MAVRITI, diuum genus: Entheorum
Profaror diuum, Patriæ parentem*

Prona

Prona quem dio venerata cultu

Hassia adorat.

Flebilem in cladem lachrymas tuorum

Sape te iunctas precibus dedisse

Auguror vates, Pietate tanta

Nobilis exstas.

Interim sauo lacerata morbo,

Sensit adstantem Medico vigore

Vrbs sacra auctorem placidum, ominandi

Fausta, Rodolfum.

Ille dum sanctam populi salutem

Peste seruaret, proprie fuisse

Immemor longo spacio videtur,

Verus Apollo.

Cum nec ad prolem trepidi venirent

Morbidam Patreis, suggerent parenteis

Filii infectos, soluente iura

Sanguinis, Orco.

Cum soror viso procul abstineret

Fratre congressum, nec aui Nepoteis

Viserent charos, Aniaq₃ Neptem

Cura timeret.

Cuncta cum humari resoluta nexus

Vincla torperent, Sociuq₃ quondam

Paceque & bello ruerent procul, vi

Cladis abacti.

Quippe lethali populante statu,

Vel semel tactos anima volucris,

Vixque

Vixque pernici medicamen vllum
Esset in aestu.

Solus aduersos animo Potente
Spreuit insultus Furiavolantis
Qui modo, GOELENIVS, in libellum
Pharmaca mittit.

Et gradu forti, pietate magna,
Adstitit vi pestifera impetitis,
Numen vt praesens, Epidauriusvs
Augur vt olim.

Plurimos virtus ea Portitoris
Sutuli excussit stygii carina,
Et nouam in lucem è media iacentis
Morte reduxit.

Maeste, diuini soboles Galeni,
Vera, GOELENI, tibi Martis vrbem
Hassiae primam, celebrem eruditum
Laude virorum,

Laudem eam debere palam fatemur
Quam seni Coò tribuere Athena
Peste concisa volitantis atro
Aethere, morbi.

Hoc viri est magni, Medicig, docti
Ipsa non horrescere quem pericla,
Cominus pestis genus experiri
Vindice Cura.

Cum vacant praesente malo furores
Cladis incerta, facile est virili

Ire vs

Ire vi contra, datur hinc corona
Simplice nexu.
At tibi duplex honor, Ô RODOLPHE,
Rite debetur, quia qua libellis
Inseris, coram didicisti ab ipso
Strenuus vsu.
Et tibi vitæ Pater almus annos
Annuet multos, Pietatis ergo
Istius, GOELENI, ego quod fauente
Auguror astro.

DE